

biente purpureo crine, quae praestantiae nota est, authore Plinio, qui Calliblephara dixit.

4. *Britannica*, quae omnibus praeferuntur, quaeque Massarius post Lucrina inventa fuisse, et Ruputina Juvenali dici putat.

5. *Santonica*, quae magis falsa et acria judicantur.

6. *Burdigalensis*, inter quae Medokina ab oppido vicino Medoë, dicta, capite nigra, suavitate praecellunt.

7. *Circaea*, quae ab Horatio commendantur.

8. *Abydena*, quae olim a ganeonibus celebrari solita, Clemens Alexandrinus in Paedagogo prodit.

9. *Lucrina*, a Lucrino Campaniae lacu, in sinu Bajano, prope Puteolos ita dicta, de quibus ut et de Britannicis ita Plinius: Nondum Britannica serviebant littora, cum Orata Lucrina scilicet littora nobilitabat: postea visum tanti in extrema Italia petere Brundisium ostreas: ac ne lis esset inter duos sapes, nuper excogitatum, famem longae advectionis a Brundisio compascere in Lucrino.

10. *Brundisina*, de quibus ita idem: Gaudent peregrinatione transferrique in ignotas regiones. Atque ita Brundisina in Averno compasta, et suum retinere succum, et a Lucrino adoptari creduntur.

II. *Cumana*, quae Strabo praestantissima facit. Nihil interim de suburbanis circa Venetias et Adriaticis, quibus Bembus teste Calcagnino palmam dedit, dicemus. Plinius paucis meminit, dum inquit: Dicemus et de nationibus, ne fraudentur gloria sua littora, sed dicemus aliena lingua, quaeque peritissima hujus censurae in nostro aevo fuit. Sunt ergo Mutiani verba quae subjiciam: Cyzicena majora Lucrinis, dulciora Britannicis, suaviora Getulicis, acriora Lepiticis, pleniora Lucensibus, sicciora Coryphantenis, teneriora Istricis, candidiora Circiensibus.

Quantum ad Colores, rufa sunt in Hispania, fusca in Illyrico, nigra et carne et testa Circaeis, quibus pal-

ma mensarum diu tributa est. In mari rubro flammeis illustrantur Zonis, ea ut diceret varii coloris temperatione ad colorem iridis accedere; adeo lineis perpetuo ductu inter se distantibus distinguuntur. *Meliora* ita descripsit Plinius. Praecipua habentur in quacunque gente spissa, nec saliva sua lubrica, crassitudine potius spectanda, quam latitudine, neque in luto capta, etsi ea Veneti caeteris antecellere opinentur, neque in arenosis sed solido vado, spondylo brevi atque non carnosio, nec fibris laciniosa, ac tota in alvo. Addunt peritiores notam; ambiente purpureo crine fibras, eoque argumenta generosa interpretantur, calliblephara appellantes. Jovius maxime probari tradit, quae magnarum navium carinis adhaerent, et ab urinatoribus de manu colliguntur. Praeter haec sunt adhuc *Ostrea Sylvestria* et *Gaideropoda*. Illa vulgus in Provincia Scandebec vocat, propterea quod sapore sunt acri, ed ideo delicatorum labra calefaciunt et urunt. Testa sunt pellucida, partibus quibusdam flavesciente, alias purpurasciente, foris crinita et crispa, intus splendida, levissima, candidissima. Carnem habent parvam, falsam, subamaram, et insuavem.

Facit horum Athenaeus mentionem, multique alimenti esse dicit, sed virus olentia, et ori ingrata. Reperiuntur in mari mediterraneo. Testa in fucis mulierum lapidis specularis vice usurpari potest, et exsiccantibus pulveribus utiliter admisceri. *Gaideropoda* quasi pes asini dicitur apud Graecos, qui gaideron hodie asinum vocant. Testa ejus, describente Bellonio, eximio naturae artificio, superior inferiori infarcta est, ut quibusdam veluti cardinibus annexa, nigroque nervo in ejus medio inter tubercula et sinus coaptato, vineta ac constricta esse videatur.

Tubercula quoque superiora duobus acetabulis inferioribus bene correspondent, ut et inferiora superioribus. Proinde apertas Gaideropodas, si quis

Athen. Di-
pnos. l. 3.

Aldrov. l. 3.
c. 68.